

CARMEN,

QUO

DIES INDUCTIONIS SCHOLARUM PIARUM

IM

I. COMITATUM ZEMPLINIENSEM,

POST ELAPSUM SECULUM

RECOLITUR :

DEOQUE GRATES CUM VOTIS

PERSOLVUNTUR.

S A T O R - A L L Y A - U J H E L Y I N I

DIE 27^a JULII Anno MDCCCXXVII,



CASSOVIAE,

TYPIS CAROLI WEFER, TYPOGRAPHI ACADEMIAE.



Qua piscosa subit Bodrogus regna Tibisci,
Elysiumque refert Tartalis ora nemus :
Arx quondam stabat Tokaensis, rupe supina,
Et circumfusis undique tuta vadis.
Saepius illa minas contemserat, armaque Turcae,
Saepius infestos luserat illa Scythas.
Succubuit postremo tamen civilibus armis,
Tökölio Patriae bella movente suae.
At breve post tempus feliciter hoste repulso,
Legitimi subiit sceptra priora Throni.
Vinitor ergo novas iterum depangere vites
Coepit, et infirmis figere fulcra botris.

Protinus et cultor Pomonae mitibus hortos
 Stirpibus, et plantis conserere orsus erat.
 Quin etiam solers proscindere rura colonus,
 Ausus, et uberibus credere semen agris.
 Quae cum vicino de colle Thalia videret:
 (Indigenis Musa haec Tallya dicta fuit)
 Haec, siquid fidei fas est adhibere Poetis,
 Narratur Phoebo verba loquuta Patri.

* * *

Odrysiis armis pulsac de culmine Pindi,
 In toto Musae degimus orbe vagac.
 Itala nos primum tellus miserata recepit,
 Hospitiumque novum Roma quieta dedit.
 Hinc ad Francigenas devenimus, atque Britannos;
 Hesperiaeque simul nos habuere plagae.

Posthaec Teutonicas etiam lustravimus oras,
Quas Rhenus, Moenus, Danubiusque rigant.
Rex quoque Mathias Corvinus in arce Budensi
 Cultor erat nostri, praesidiumque gregis.
O! quam laetari foecundis coepimus arvis,
 Clarisque ingenii Hungara terra tuis.
Depulit hinc miseras nos dira Mohatsia clades,
 Pulchraque Vulcano Bibliotheca data est.
Caesaris auspiciis (a) iam firma pace reducta,
 Cur non his iterum consideamus agris?
Aspice, quam placide praeterfluat unda Tibisci;
 Ut variet regio vallibus, atque iugis.
Non bene Zemplinis praeponas Thessala tempe,
 Aut steriles Delphos, Coryciumve tuum.
Haec iuga campanis praefert Semeleia proles;
 His agris Siculos posthabet alma Ceres.

Non hic Moeonias frustra cantabimus Odas :
 Nam docili solers incola mente valet.
 Artibus ingenuis est actas prima colenda ;
 Formandus molli rectus ab ungve puer.
 Mature frutices male natos falce recidit
 Vinitor, et vinclis germina sparsa ligat.
 Vere olitor primo tenerae facit insita stirpi ;
 Lenta pati iuvenis froena docetur equus.
 Atqui non vites, nec equi, vel copia frugum,
 Sed cultura hominum regua beata facit.

* *

Tum venturarum rerum prae sagus Apollo
 His natam affatus dicitur esse suam.
 Vera refers, et iusta petis, dilecta Thalia :
 Nec deerunt votis Numina prona tuis.

Conditus in Latio studiis iam clarus habetur
Ordo, Piac nomen cui peperere Scholae.
Iam Calasanctinos fovet Itala terra Magistros;
Iam Morava his fruitur, gensque Pelona viris.
Quin et in Hungariam penetravit docta caterva;
Ipsa Rege (b) Pios suscipient Patres.
Iam Podolinensi deducti e valle (c) calenti
Prividiae pueros sedulitate docent.
Hinc Debretzinum, Debretzinoque Tokajum
Acciti capient arce sub hacce locum.
Illustris Matrona (d) Piis fundosque, Domumque
Ista legabit conditione Scholis.
Principio Patres solito fervore docere (e)
Incipient tantum prima clementa rudes.
Noscere nempe notas Cadmeas, (f) scribere recte,
Ac legere, et numeros rite putare datos.

Non ii despicient natos e paupere stirpe,
Paupertas ipsa est sacra futura viris.
Praecipue tamen instituent pietate Juventam;
Quippe Dei a cultu profluit omne bonum.
Hinc aeterna salus, hinc vera decentia morum,
Hinc terrae ubertas, ingeniique venit.
Isthuc ergo brevi concurret multa Iuventus,
Grammaticasque etiam quaeret habere Scholas.
Has quoque fundabit, sacris qui praesidet aris
Madac, (g) cognatae nempe Thalia tuae. (h)
Ille domos, et agros, et colles vitibus aptos
Augendis studiis conferet, aesque suum.
Mox ergo his etiam dominabitur Alvarus oris,
Incipietque puer verba latina loqui.
Addentur Latiae linquae descriptio terrae,
Et iuncta Historiae gesta profana sacrae.

* * *

At vero, (sic fata volunt) Tokaensia rura
 Non diu florentes sunt habitura Scholas.
 Qua Dux Arpadus quondam *Tentoria* (i) fixit
 Atque *Nouum* coepit gens habitare *Locum*:
 Illic instituet stabilem Pius Ordo palaestram,
 Atque rudes pueros excolet arte sua.
 Nimirum, nisi me rerum prae sagia fallunt,
 Palladis hos ludos atra procella petet.
 Prae video, sed causa latet, bisquinque per annos
 Castalii clausas hic fore fontis aquas. (k)
 At iustus Caesar (l) solerter in munere curam
 Ordinis Aonii, pauperiemque videns;
 Hunc confirmabit: „*Maneat Calasanctius Ordo*
 Inquiet, ac *Nostra* porro *fruatur ope.*“
 Moxque his Pierides constrictas rupibus, amplas
 Transferet ad sedes Ujhelyiensis agri. (m)

Ut, qua clausa prius, desertaque stebat Eremus,
 Grammaticae pateant, Rhetoricaeque Scholae.
 Qui fuerit primus studiorum ex Ordine Praeses, (n)
 Templo deterget, Collegioque situm.
 Egregieque simul partim moderando Palaestras,
 Partim convictu corda tenella reget. (o)
 O! quot Palladiis his e penetralibus olim
 Prodibunt clari Marte, Togaque viri.
 Quot seu Nobilibus, seu civibus, atque colonis
 Ingenii stabiles hic tribuentur opes.
 Quare, more Patris Caesar tum regua gubernans,
 Musarum his ludis usque benignus erit. (p)
 Quod grato recolens animo Calasanctius Ordo,
 Fervida pro Augusto Principe vota feret:
 Seu cum Gymnasio veniet centesimus annus;
 Seu cum Natalem, Caesar amatus aget.

* * *

Fallor, an haec nostrum memorant oracula tempus;

Grataque nos coelo reddere vota monent?

Namque Scholis nostris hic est centesimus annus;

Et post quinque dies Julius actus erit. (q)

Eja igitur celeres sacras properemus ad aras,

Debita fusuri vota, precesque Deo.

Tollamus duplices devoti ad sidera palmas,

Ambrosiumque sonent pectora nostra melos.

Cantemus: *Te corde Deum laudamus, et ore;*

Te nostrum Dominum psallimus, atque Patrem.

Sit Tibi laus, et honor, sint grates omne per aevum,

Pro cunctis donis, muneribusque tuis.

Inprimis, quod nos tenero delegeris isti

Formando studiis, ac pietate gregi.

Da validas porro nobis ad munia vires,

Da docile ingenium prolibus hisce piis.

Fac, ex his referant solatia multa Parentes;
Fac, referat claros Patria nostra viros,
Serva felices, qui Regis nomine praesunt
Gymnasio, ac re nos, consiliisque iuvant.
Praecepit Patrem Patriae, columenque Scholarum
FRANCISCUM cunctis perge fovere bonis,
Vivat IS Imperio longaeus, vivat et Orbi,
Vivat ter felix Hungariaeque suae.

Cecinit

Josephus Calasanctius Tamásy,
e Scholis Piis, Rector Collegii.

Clarior Personarum, temporumque, ac rerum quarundam, in vaticinico carmine occurrentium expositio.

- (a) Caroli III. Reg. Hung. pace cum Turcis Paszarovitzii inita die 22^a et confirmata die 27^a Julii anno 1718.
- (b) Augustissimo Imperatore Leopoldo M.
- (c) Inclita Familia Comitum Pálfy in Dominio Bajmocziensi Fundationem faciente anno 1666.
- (d) Praenobilis Domina Vidua, quondam Joannis Pikótsi Centurionis militiae celebris coniux Eleonora, prima fuit Residentiae Tokajensis Scholarum Piarum Fundatrix anno 1722. Legatione facta.
- (e) Accedente consensu Regio, ac Diplomate Caroli III. Reg. Hung. die 27. Julii anno 1727. Patres Scholar. Piar. Tokajnum inducti Iuventutem primis studiorum clementis imbuere caeperunt.
- (f) Literas a Cadmo inventas.

- (g) Reverendissimus D. Alexander Czakó, Abbas de Saar Monstra, Parochus Madensis, Fundationem pro inducendis Scholis Grammaticis multo ampliorem fecit.
- (h) Máda est vicina Tallyae.
- (i) Sátor - Uj - Hely. "
- (k) Per annos 10. cessaverant Scholae.
- (l) August. Imp. Josephus II.
- (m) Vi Altissimae Ordinationis Regiae, quae data est die 6^a Maji 1789, Patres Scholar. Piar. Tokajenses, Commissario Regio L. B. Gabriele Eötvös, Superiore Scholarum Directore Comite Ludovico Török, die 5^a Julii eiusdem anni Sátor-Allya-Ujhelyinum ad antiquissimam abolitorum Patrum Paulinorum Eremum desertam sunt translati.
- (n) Primus Domus Ujhelyensis Superior Josephus Sivulszky (qui postea 23 continuis annis Gymnasio praefuit) pro sustentatione duorum Humanitatis Professorum redditus necessarios ex fundo Studiorum impetravit. Eiusdem etiam sudoribus et impensis ex Paternis bonis factis debetur amplum, et elegans Collegium, ac Templum, ad eximium nitorem proiectum.

- (o) Peculiari ductae fiducia Nobilissimae quaeque I. Comitatus Zempliniensis Familiae, carissimas suas proles in convictu Collegii Ujhelyiensis, Patribus Scholar. Piar. educandas tradiderunt, et nunc etiam tradunt.
- (p) Sua Majestas Sacratissima Franciscus I. die 3^a Decembris anno 1813, sumtus pro erectione novi Gymnasii S. A. Ujhelyiensis requisitos, e fundo Studiorum benique resolvere; ac postea etiam die 13^a Martii anno 1816 lingua aedilia, e silvis Cameraticis Marmarosiensibus, erga pretium productionale duntaxat clementer concedere dignata est.
- (q) Dies Julii a fine quinta est 27^a Mensis eiusdem, qua primum anno 1727 institutae sunt Scholae Piae pro I. Comitatu Zempliniensi Tokajni, quae postea Sátor - Ujhelyinum translatae fuere. Quamobrem primaevae harum Scholarum Institutionis proprie est dies 27^a Julii, anni 1727, cuius annus secularis recurrat itidem die 27^a Julii anno currente 1827.

